



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 12. In Occitaniâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

peribent delata à sancta Magdalena; in ea est aliquid sanguinis terrâ immixti. Ostenditur illa populo die Parasceues à Priore Dominicanorum, sicque paulatim accrescit sanguis, ut totam phialam impleat. *Papyrus Massonius.*

Lateres Massiliæ fiunt, qui proiecti in aquam natent; videlicet ex terrâ pumicosâ constabant, quæ exsiccata redibat ad priorem naturam. *Vitruvius lib. 8.*

*In Occitania, seu Languedocio.*

IN FUXENSIbus Montibus de *Foix*, prope Bellestadum pagum eritur Liria Fl. *Lers*, is mensibus Iunio, Iulio, Augusto quater & vicies quotidie deficit atque renascitur. *Papyrus & Bartasius.*

Haud procul Narbone si terram effoderis pisces cum humo egeres, vermium ad instar. *Dalecampius in Athenaeum, & plerique veterum.*

In vrbe Tholosa cœmeterium, vel potius specus in Ecclesia Minoritarum, in cuius parte cadauera infossa non putrescunt, sed integra seruantur sine mephiti. *Toridem testes quoit Tolosates.*

Iuxta Nemausum ubi Turris magna, vel Romana *Tourmagne*, Fons scaturit in morem stagni, è cuius medio aqua ebulliens erumpit, in eos æstus si quid ceciderit, amplius nusquam compareret. *Andreas du Chesne.*

In Agro Nemaensi stagnum Laterra, nunc de *Lates*, olim Mungilibus capiendis Delphines operam nauabant, prædæque accipiebant partem vnâ cum intritâ panis & vini, euocatique veniebant. *Plinius lib. 9. cap. 8.*

In vico *Balerme*, iuxta Montepessulum calidus fons erumpit qui salem egerit. *Dalecampius in cap. 7. lib. 31. Pliny.*

Prope Montepessulum in vico quem vocant *Baillargues*, ad ripam amnis Liria *Lelez*, pisces effodiuntur, vt ad Salsulas. *Dalecampius in cap. 57. lib. 9. Pliny.*

In pago *Peraux*, vnâ leucâ à Montepessulo aquæ fontis intus agitatæ vehementer strepunt, & magno cum murmure exeunt. Quod contingit ob ventos in terræ visceribus inclusos. *Nicol. Dotoromanus lib. 1. de aquis Bell. lucanis.*

Imperante Vespasiano Alba *Helviae Viniers*, inuenta est vitis uno die deflorescens, ob idque tutissima iudicata, propter pestes

Ooo ij

florentem vitem infestantes. *Plinius lib. 14. cap. 3.*

In Ligeri Fluvio quâ parte per Velaunos transit, le Velay, Boues in flumine querunt nascentem herbam audiissimè, totisque immersis capitibus. *Dalecampius in Plin. cap. 22. lib. 18.*

*In Aquitania.*

IN Fluuio Olindo *old*, piscibus abundante, nec Lucius crescit, nec importatus in eo viuere potest. Rationem reddunt incolæ quòd S. Ambrosius Cadurcensis Episcopus pescationem illam interdixisset. Sed fabulosam putat rationem illam *Papyrius Massenus*.

In vico Marsaco in Petrocoriis fons æstus marinos imitatur, & quod mirabilius, respondet fluuij Garumnæ ad Burdigalam incrementis. *Andreas du Chesne.*

A Garumnæ ostio Liburniam usque *Linourne*, æstus marinus sic intumescit, tantóque impetu aquas repercutit maximè æquinoctio Autumnali, ut scaphas obuias cuerat, nauigia dissipet grandiora, insuetis magnum pauorem creet, pueris indigenis furias ilicas cum voluptate expectantibus. *Andreas du Chesne.*

In Tarbellis Aquitanicâ Gente, aquæ decurrunt frigidæ & calidæ paruo inter se interuallo discretæ; quod etiam in Pyrenæi radicibus contingit. *Perdurat ad hoc usque tempus miraculum. Plinius lib. 31. cap. 2.*

Haud procul Baiona ventis minimè spirantibus, adeo turgescit mare, vt terram vniuersam obducere velle videatur. Quem tumorem, dubio procul, efficit ventus in terræ visceribus conceptus, & per aquas euolans. *Andreas Baccius lib. 1. de Thermis cap. 2.*

Versus Pictonicum mare lacus erat dictus Coruorum, quorum opera vtebantur indigenæ, vt lites componerent, vterque aliam habebat candicantem. Accedebant porro ad eum locum disceptaturi in sublimi loco positâ tabulâ; Actor & reus pro se quisque in eam proiiciebat liba, aduolabant Corui, libum vnum vorabant, aliud dissipabant, hoc euincientis litem, illud causâ cadentis signum erat. *Strabo lib. 4. ex Artemidoro.*

Prope Fanum S. Ioannis de Angeraco *S. Jean d'Angely*, fons visiturnullo penè fluento hyeme, æstate abundanti, contra aliorum fontium naturam. *Eusebius Nierembergius.*